





25

Q. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO CAROLO,**  
BORVSSIE PRINCIPÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
DE  
**PASSIONE**  
**ILIAACA,**  
PRÆSIDE  
**FRIDERICO HOFFMANNO,**  
COLLEGII MED. h. t. DECANO,  
PRO DOCTORIS GRADV  
publice disputabit  
A U C T O R  
**IOHANNES FRIDERICVS CONRADI,**  
Osteroda-Hannoveranus, Physicus Sondershusanus.  
H. L. Q. C.  

---

*Ad d. Julii. Anni ob Iccc XVI.*  

---

**HALAE MAGDEBURGICAE,**  
Typis GEORGI JACOBI LEHMANNI, Acad. Typ.





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

PASSIONE ILIACA.

L.



Uum apud omnes, rerum humanarum  
vel mediocriter gnaros, extra contro-  
versiam positum sit, magnam esse vim  
temporis, & incredibile prorsus in eo  
situm esse pondus, ut occasionem be-  
ne rem gerendi ne sinamus manibus  
nostris elabi: tum medici maxime id  
in artis operibus rite peragendis quotidie experiuntur.  
Usque adeo non sine magna ratione summus ille medici-  
næ parens & grauissimus auctor *Hippocrates* toties nos de  
tempore admonet, &c. cum momenta quævis præcipiti gra-  
du aufugiant & secum juuandi occasionem eripiant; id  
cupid, omnes serio agere, ut tempestiuæ quiduis, & cum

A z

sum-

summo judicio, moliantur. Nec enim ignotum esse potest cur divinus senex nos de eo tam grauiter tamque sape admoneat. Sunt enim morbi complures, quorum initia, si recte rem aggrediaris, facile auertuntur a corpore, aut ita infringuntur, ut quam clementissime & cum exiguo periculo decurrant: si teipsum concedas; vires sumunt & jam ipsi illi, prius abunde suffecturo, medicatio-  
 nis generi, adeo non cedunt, ut potius exacerbentur. Possim, si illud nunc agerem, longo ordine recensere quantum in eo situm sit ut tempestive sanguis mittatur, ali-  
 uus ducatur, vomitus concitetur, cutis exerniculum per-  
 spirabile reddatur: possim etiam ostendere, quam in iis-  
 dem morbis, eadem, quæ initio eorum saluti fuissent, sub  
 incremento prorsus noxia evadant: sed sufficere puto, si  
 pro me grauissimum testimonium dicat *Hippocrates*, qui  
 1. lib. de morbis naturæ ore ita loquitur: si unquam ali-  
 quis, in ullo morbo, utilitatem attulit, eum justo tempore at-  
 tulisse necesse est. Apparet ex hoc, quanta opus sit pruden-  
 tia ei, qui salutarem artem exercere cupit: apparebit ve-  
 ro etiam, aut in memoriam recurret, ipsius artis longitudo,  
 quam idem, qui temporis & occasionis præcipitem fugam  
 toties ingeminat, non minus saepe inculcauit. Nobis au-  
 tem speciminis inauguralis loco de passione iliaca aliquid  
 commentantibus, & multorum in arte præclarum ac im-  
 mortale nomen habentium monumenta peruvolentibus,  
 præcipue apparuit &, quid valeat in hoc morbo tempesti-  
 ue succurrere, &, quid intempestive data nocere possint,  
 & denique quid nos longa ætas, qua ab medicinæ primis  
 auctoribus remoti sumus, continuis & maturis obserua-  
 tionibus collectis, adiuuerit. Vitæ enim breuitatem, quæ  
 singulorum est, compensant victuris chartis commissæ ob-  
 serva-

servationes & inventiones, quibus, qui cum recta ratione videntur, ii mihi videntur propterea non vituperandi, quod medicinam per numerosa lustra nondum factarunt, quum nemini mortalium datum sit artem longam perdidicisse, ipseque *Hippocrates*, ad *Democritum* scribens, etiam jam senex, tamen confiteatur ad finem se nondum in medicina pertigisse. Sed ad rem proprius accedo, ea de hoc morbo expositurus brevitate, quæ & instituto & tempori concessu convenienter. Faxit Deus feliciter.

## II.

Quem nos jam passionis iliacæ nomine consideramus, is morbus plura nomina invenit, quibus apud antiquos non minus quam recentiores insignitur. *Hippocrates*, antiquissimus auctor, ilei appellationem retinet: ex Græcis alii chordapsum vocitarunt aut chordium morbum, de quarum vocum vi & origine eo minus solliciti erimus, quo magis id a nostro fine distat, & abunde jam a *Foegio* in *œconomia Hippocratis* & *Gorrao* in *definitionibus medicis*, aliisque doctissimis viris excussum est, eloquentissimus Latinorum medicorum *C. Celsus*, tenuoris intestini morbum vocat, simulque Græcorum in denominando hoc affectu inconstantiam arguit. Dum autem ipse ita eum appellat, respexit ad alterum, quem intestini plenioris morbum designat, nos colicam dicere coniungimus. Cetera etiam nomina, tamquam facile cuius obvia, nunc mittimus, & quid denique sit hic morbus, de quo omnis imposteriorum sermo erit, brevissimis exponimus.

## III.

Est autem affectus, quo intestinorum peristalticus

motus ad inferiora a naturæ instituto vergens , ex quæcunque caussa sic invertitur , ut ad superiora tendat , & non raro etiam contenta intestinorum eadem via intorqueat . Quod malum , ut torminum intolerandis cruciatibus & fœditate horrorem & commiserationem excitat , unde vulgo miserere mei illud nuncupant ; ita periculi quo plenissimum est , gravitate , merito extimescit & inter acutos morbos , eosque non raro funestos , connumeratur . Etenim febris & inflammatio plerumque accidunt , & gangræna cum sphacelo superuenientes , funestum exitum accelerant .

## IV.

Ut autem plenus morbi tam diri historia innoteat , operam dabimus ut ejus delineationem , una cum symptomatis maxime ordinariis , lectoris subjiciamus oculis . Ut plurimum in iis , qui alio alias tardiore sunt , sensim inueterascentes alii obstruktiones , sine dolore , per aliquot continuos dies , scenam adornant , in quam mox acutissimi & saeuissimi dolores prodeunt , qui initio parum a colica vehementi differunt , cum inflatione , distensione duroque ad rectum tumore hypogastrii aut umbilicalis regionis . Si qui vero subito malum incurrere videntur ; hifere sunt , qui , prægresso manifesto diætæ vitio , aut vehementi animi affectu , ut iracundia , terroreue perculsi , inclemens cæli frigoribus statim se committunt . Alius inter haec non tarda sed prorsus constipata & constricta est , adeo ut nec flatus deorsum prodeat , nec excrementi quicquam , nec siphon etiam pro injiciendo enemate , nisi difficeretur penetrare possit . Flatus interea suas tragædias intus petagunt , & tamquam majoris mali infâsti prænunti

cii

( 7 )

ci superius erumpunt. Nausea & in vomitum propensiō cito pede insequuntur, rejiciunturque primo quæ in ventriculo forte fuerint, intermixtis biliosis, saepē æruginineam faciem habentibus, insequuntur ut plurimum mucosa & albentia, donec sedus anhelitus ipsas jam crassiōres fæces, alius reuocatas, horrendo spectaculo progressu- ras, prænunciat. Solet interea appetitus omnino jacere, si- tis saepē immodica cum calore adesse. Si inferius iniici- as clysteres aut ano intrudas suppositoria, magna non ra- ro violentia rursum raptā per vomitum redeunt. Si in- ter hæc medicamentis nihil effectum sit, plerumque dolorū vehementia conquiescit, sudor frigidus in corpore sentitur, cum inquietudine & deliriis, aliud autem sponte liquidis excrementis exsoluitur. Tunc non procul hinc aduentantes leipothymias, aut, si iuuenilia & robusta cor- pora sint, conuulsiones atroces, extimescito, & non ma- gnopere amplius formidandam mortem præ feribus adesse credito.

V.

Si antiquos de vera hujus mali sede consulueris, uno fere ore dicent, esse illud intestinum tenuē, quod nomine cum ipso morbo convenit, & ultimum est in se- rie graciliorum. Nec multi sunt, qui ante nostra tem- pora aliter pronunciare ausi fuerunt. Verum, quum nostris temporibus, & paulo superioribus, cordati ac se- duli naturæ scrutatores dissectionibus cadaverum, quæ omnis generis perierunt morbo, studuerint: illorum di- ligentia compserimus sedem & radices ipsius cauſæ, quæ illud, quod maximum in hoc morbo censendum est, pro- uocavit, non solum in intestino tenui residere, sed aliquan-

.11 V

do in

• (3) •

do in cæco, sæpissime etiam in ipso colo deprehendi, quid  
quod ipsum etiam mesenterium, ubi intestinorum canali  
propius adiæret, morbi somitem continuisse deprehen  
sum est. Ac proinde jure dixerimus intestinorum lon  
gissimum tractum, si duodenum & jejuni partem forte  
excipias, huic malo fovendo & excitando idoneum esse. Si  
autem attendamus ad ipsa tormenta, quibuscum ægris  
conflictandum est, & ad motus intestinorum peristalticæ  
inversionem: nihil prorsus in intestinis supererit, quod  
non ad malum concurrat, quum inde a musculo, qui orifi  
cium ani concludit, usque ad pharyngem, ubi fistula cihi  
lis incipit, tam insignis anomalia motuum omnium obser  
vetur. Adeoque rectissime scripsit Celsus Auenianus lib.  
*III. acut. morb. cap. XVII. tormentum solius acutæ passionis.*  
(hoc enim nomine ileon appellat) est omnium intestinorum  
vexatio.

## V.I.

Antequam ulterius progrediamur, forte non inutile  
fuisset sectionum plurium inductis exemplis ea compro  
bare, quæ de sede caussarum hujus morbi deprehensa ad  
seruimus. Verum, cum ea tractatio fere necessarium  
nexum habeat cum caussarum recensione; ne eundem  
laborem bis ageremus, eo rem omnem hanc rejicimus,  
dum illas enumerare suo ordine tempestiuum sit. Nunc  
memores illius Hippocratici: *principium omnis sermonis  
in medicina naturam esse debere*, brevisimistantum deliba  
bimus earum partium, quas hic morbus infestat, struc  
tum & indolem secundum naturæ intentionem recte haben  
tem, ut deinde eō melius iudicium de reliquis feramus, quæ  
præter & contra naturam illis accidunt.

## VII.

Natura, cum totum hominem absoluisset, de ejus conseruatione sollicita, instituit & machinata est nutritio-  
nis organa, continua serie inter se connexa, ceterum tam  
affabre facta, ut fateri cogamur, maxima opera eam in mi-  
nimis, tautum non contemtu dignis olim visis, moliri. To-  
tus intestinorum canalis, inde ab oesophago vsque ad in-  
testinum rectum, recipiendis, digerendis & elaborandis a-  
limentis, tum quoque temperando & separando ex illis chylo,  
faeculentis autem tempestive & blande educendis  
comparatus est, mirumque videtur, quam longa & magnitu-  
dinem hominis multoties excedentia intestina in concin-  
num ordinem redegerit, ne sibi officerent. Ipsa structura  
haec est, ut variis tunicis conflata sint, ex quibus exterius  
fibrae variae, ad motum & tonum illis conciliandum, dupli-  
ci ordine conspicuntur. Sunt enim aliae secundum lon-  
gitudinem excurrentes, aliae vero spirales, vnum continu-  
um quasi musculum constituentes; quarum illae videntur  
eo comparatae, ut attollant & diducant latera intestinorum;  
hae vero, ut descendens alimentum sua contractione inse-  
quantur & quasi propellant, quem motum assimilare illi  
solemus, quem in lumbricis terrestribus conspicimus, a  
summo exorsum, in extremo corpore desinentem. Sub  
illa fibrosa seu musculari textura neruosam aliam, sed mul-  
tis vasorum varii generis exilissimis ramificationibus in-  
tertextam & intus miltis villis constat tunicam conspi-  
cimus, quam illud proprio peragere statuimus, cuius cau-  
sa intestina ipsa instituta sunt. Adeoque motum intesti-  
norum perpetuum ac propulsionem concentorum fibro-  
rum seu musculari tunicarum, secretionem alteri, quam nerueam

vocitare, acceptum referimus. Huic in officio suo variæ glandulæ succurrunt, quæ omnis generis succos, ab humorum reliqua massa sequestratos, intestinis suppeditant, quibus assumpta elaborari, ad præbendum laudabilem & nutritioni aptum succum, queant. Quæ cum copiosissimæ inde a pyloro, in duodenî principio, inter musculosam & glandulosam tunicas, ab illustri *Brunnero* detectæ, ab eoque pancreatis secundarii nomine designatae sunt; tum ab Excell. *Peyero* alia racematum coniunctæ, præcipue autem in ileo intestino, circa coli confinia, demonstrantur, de quorum usu uterque præclarissime commentati sunt.

## VIII.

Quamdiu itaque & fibræ ad peristalticum intestinorum motum recte concurrunt, & per interiorem villosamque tunicam secretio recte procedit, glandulæque succos fecernunt, quales conueniunt: tamdiu viger magnum illud animalis nutritionis negotium. E contrario autem omnia accidunt, si secus hæc habeant, & vel intestinis tonus deficiat, vel glandulæ non assundant quod satis est, vel quod decet, aut ipsa exterius allata corpora viam obstruant motusque depravant, aut alia quævis caussa ordinatissimum negotium interturbet. Sed de his, quantum ad nostrum morbum facere videtur, nunc seorsim debemus differere.

## IX.

Eius itaque, quod in passione iliaca præcipuum iure censetur & quasi essentiale, puta motus peristaltici, ex naturæ ordine inferius vergentis, peruersiōnis, quam tot molestia symptomata concomitantur & cum ipsa morte plerumque insequuntur, caussa & origo, inquirentibus non una se offert.

offert. In quarum recensione initium faciam ab obstruc-  
tionibus intestinorum pertinacioribus. Hæc ipsa, ut a di-  
versis rationibus existere potest ita diuersissima hinc  
sunt, quæ iliacæ passioni leguntur occasionem dedisse.  
Incipiems a familiarissimo exemplo, vbi videmus ex di-  
ætæ vitiis homines aluum sicciorum sibi reddere. Qui e-  
nem sedentariae vitæ dediti sunt, forte etiam moerore aut  
aliis caussis debilitatem ventriculi contraxerunt, si pluri-  
ma sicciora per os assumunt, nec satis multo potu diluunt;  
illi per quam facile obstrukciones incurrere solent. Ita  
*Welschius Dec. 7. cur. V. p. 404.* nobis feminam com-  
memorat, quæ frequenti panis siccii esu in aliis constipatio-  
nem incidit & mensium imminutionem, mox subsequentे  
ileo: a quo non sine multo labore erepta est. Sic exem-  
pla non desunt eorum, qui ex ribium multo esu, aut pirus  
& pomis multum ingurgitatis hoc malum sibi attraxerunt.  
Cum enim isti fructus, præserim non satis maturi & ex-  
cocti, multum acerbi & adstringentis succi habeant, præ-  
tereaque tota substantia sua tales sint, ut parum concoqui-  
possint; sed fere aluum modo transeant: imbecilliores  
facile ab iis lœduntur, quod frequentissime subsequentes  
eorum esum incommoditates satis testantur. Hinc fit, ut  
debilitatus & a suo robore deiectus ventriculi & intestino-  
rum canalis talia subigere nequeat; quare, sibi relicta, in-  
sita immaturi succi sui natura, in intestina agunt, eaque  
vellicando spasmos & tormenta concitant, quo glandulæ in-  
testinalis irritate & compressæ, succum exsudant, quo copi-  
ose profluente non raro materia noxia, exorta diarrhoea,  
profluit magno corporis emolumento. Quod si secus fiat  
& vel nimia ingurgitatorum sit austeras, glandularum  
ipsarum orificia contrahens, vel moles nimia & in unum a-

cerium compulsa substistat & constrictione debitam intestinorum tollat ; pertinaces inde obstructions & indurations exoriuntur. Res non caret exemplis ab auctori bus in comamentaria relatis. Sic in M. N. C. dec. III. ann. IV. obs. 95. de femina refertur, quæ ex nimio ribium esu, quum annos LXII. haberet, hunc morbum incurrit. Idem virginis accidisse ex pirorum esu *Observatione* 96. l.c. legitur. Harderns in *Apiario* obs. 65. enarrat de pueri generosiori potu adiuto, qui furtim sibi comparata complura poma simul ac semel deuorauit, indeque, post varia & atrocia symptomata iliaca, demortua est, in cuius dissecto cadavere intestina flatibus insigniter distenta, & ileum, eo loco vbi glandulae copiosiores sunt, gangraena penitus infectum videbantur. Taceo illos, qui a castanearum aut a uellanarum esu multo eadem incommoda incurrisse leguntur.

## X.

Huc accedit, quodiam ~~lazadatus~~ Welschius l.c. annotat ab rebus valde exificantibus & constringentibus malum hoc excitari, cuius generis recenset gypsum & lithargyrum, quorum noxae sunt notissimæ, & pro ea copia, qua in corpus assumta sunt, non vnius generis læsiones, sed vel lentius vel vehementius & acutius affligentes, corpori humano afferunt. Sed non solum externe in corpus assumentam culpa fieri hanc posse & solere constrictione, vero videtur admodum simile *Payero* in tract. de glandulis intestinor. Part. II. cap. 9. ita scribenti : *Quemadmodum remora descendit contenta (intestinorum) prohibentes varie esse possunt ita non pro�is alienum a ratione esse arbitror affixere secum in pleribus intestinorum glandulosis aliquando, et si eius via-*  
tiata,

( 13 )

riata, indolentem austeren, adstringentem, atque tinctura aut  
extracto gallarum cernulam fortiri, adeo ut forte manipulus  
fibrarum inde percussus aut inbutus facta pertinaci consti-  
tione, neque excrementis neque flatibus transitum largiatur.

## XI.

Quod de lithargyrio ante dixi, & ad omnem prosapiam saturninorum maxime pertinet, id vnicar obseruatione medica comprobare non incommodum fuerit, quippe casus & recentes est, & commemoratione dignissimus. Quidam iuuenis, medicinæ studio deditus, incommodum crebrarum pollutionum nocturnarum, ex quibus periculum sibi metuebat, depellere a suo corpore cupiens, consilium cepit saturni saccharo, satis magna in copia adhibito, sibi consulere. Ex eius usu in pertinacissimam alui adstrictiōnem incidit, vt per integros quatuordecim dies nec aluum deponeret, nec flatus emittere posset, iamque ilei manifesta signa vitæque amittendæ periculum summum adesset, cui tamen celeberrimorum virorum & in arte exercitatiſſimorum, quos eosdem vt præceptores & fautores perpetuum veneror, ope, consilio & auxilio tum eripiebatur, quantius, vt saturni vim inimicam agnoscamus, non longo post tempore vitis exemptus est. Ne vero saturnina, utpote valde exsiccantia & adstringentia, tantum formidanda existimamus, sed benigniora etiam magnas calamitates inferre agnoscamus, si ad excretiones spontaneas cohibendas in tempestive dentur; his ex Fernelii Patholog. lib. VI. cap. 4. breuiter casum septennis puellæ annexatam, cui mulierculæ, ad indolentem sed diuturniorem paululum diarrhoeam compescendam, cydoniatum larga manu dederant. Sistitur fluxus sed tumor hydropem mentiens & diri cruciatus pre-

So pede subsequuntur, tandemque, in cassum adhibitis remediis, ille succumbit. Apertum cadauer morbi sedem indicavit, coecum enim intestinum adeo, obhærescente & interiorum ductum obturante cydoniato, constrictum se obtulit, ut, fæcibus viam non inuenientibus, nouum sibi foramen, paullo supra obstructionis locum, fecerint, vnde in abdominis cavitatem effluenter.

## XII.

Obstructionis pertinacioris cauſa porro existunt aliena & solidiora corpora in intestinis delitescentia, quando alii cubi consistunt & ulterius progredi nequeunt. Non curiosum minus, quam notabile exemplum est, quod nobis in hanc rem suggerunt A. N. C. Centur. II. obs. 154. de quodam natione Turco, qui in obsidione Budæ, quum extrema vrbi instarent, quicquid habebat auri, deglutiuuit. Captus is a nostris Germaniæ infertur, ibique rusticam vitam, amplexus nostram religionem, egit. Hic pertinaci prius alii strictura cum torminibus grauissimis, tandem reliquis ilei symptomatis, corripitur, quibus per sedecim integrros dies diuexatus est. Ultimo demum die aduocatus medicus, opis quidem nihil adferre potuit, testis tamen & spectator fuit cauſæ morbi haud sane vulgaris, viam ipsa defuncti vxore, domestico cultro, nec parua auditate, parante. Audiuerat enim a viro qualem thesaurum in corpore gereret; inuenit vero aureos nummos octo & quadraginta circa finem ilei intestini hærentes, ex quibus aliquot satis dura calculosa materia obfessi, reliqui vero crasso mucro & tenaci impacti, tam arcte intestinum obturabant, ut vix limpida aqua transitum inuenire posset.

## XIII.

## XIII.

Alienis corporibus iure accensendi videntur lumbri-  
ci; quorum familia satis sepe numerosae in iliaca passione  
decubentibus inuentae sunt. Verum, cum non clarum  
satis sit utrum obstruendo intestina malum producant potius,  
quam aliunde productum irritando augcant, inferius  
eorum mentionem facienus. Nunc ex Bonetti Sepul-  
chreto Tom. II. pag. 233. exhibeo mulierem quandam,  
quaer per XXX. annos dolores quasi hystericos perpetua,  
tandem illo exstincta est. In hac anatome detexit ma-  
gnam vesicam recto intestino adnatam, pinguedine, offi-  
bus, & capillorum grandi cirro impletam, quibus intesti-  
num adeo compressum fuit, ut nihil sineret excremento-  
rum perfluere. Huic non dissimilis est, qui statim subse-  
quitur casus, & in eodem intestino ilei mortisque causam  
demonstrat. Nempe per quindecim dies aliquis nihil de-  
icerat, & inter stercoreos vomitus decesserat: in hoc  
membraneus circulus, a proximo peritonaei processu exor-  
tus & reduplicatum intestinum inueniebantur.

## XIV.

Aliena corpora, vel in intestinis enata, vel illis adnata,  
nos ab obstructione sensim ad compressionem ac coarcta-  
tionem eorum deduxerunt; quare commodum videtur  
hic de herniis mentionem iniucere, quum illæ nimis sape  
homines tam misero morbo plectere soleant. Nimirum  
herniae sunt & hunc morbum ingenerant, quum intestini  
portio intra processus peritonaei impellitur, ubi illi in vi-  
ris ad scrotum abeunt, in feminis uteri ligamenta rotun-  
da penetrant. Anatomicorum libri nos docent hos pro-  
cessus, dum musculos abdominis perforant & transeunt,

certis

certis quasi annulis aut gradibus hanc facere penetratiō-  
nem, ita ut, cum vnum musculum perforarunt, intra eū  
& sequentem aliquantulum progrediantur, ante quam al-  
terū pro vltiori itinere, transeant, quod a natura com-  
paratum ideo videtur, vt eo minus prompte aliquad scro-  
tum vel inguinalem regionem extra abdominis cavitatem  
erumpat. Idem vero, si aliqua violentia fiat vi eo inter-  
stīnorū aliqua pars illabatur, efficit vt maiori eū diffi-  
cultate pristinum locum repeat, musculis impositis corri-  
primentibus & retinentibus. Maius autem fere est incom-  
modum metuendum, quo minor facta est eorādem an-  
nulorum dilatatio. Nam si magna est, vt intestina com-  
modius ibi delitescant, fieri potest vt ibi transitus fecum  
per satis longum tempus nihil impediatur, prōmteque  
succedat, vt multos homines videmus quorum scroto mi-  
ra quantitas eorum impacta est, qui de reliquo satis diu im-  
munes ab hoc malo vivunt. In feminis res est eo maioris  
periculi, quum & abdominis muscularum maius sit robur,  
& processus angustiores, quare exempla earum prostant  
in quarum inguine vix fabam æquans tumor tactu depre-  
hensus est, & tamen in saeuissimam iliacam passionem inci-  
derunt. Nec vero solum illæ herniarum species, vbi inte-  
stina ad inguina vel scrotum descendunt, hic intelligendæ  
sunt, sed multæ obseruationes, immo rationis etiam con-  
venientia, euincunt, omphalocelen habentibus idem con-  
tingere.

## XV.

Mirum autem est quantum hic, præsertim in semi-  
nis, grauior iracundia aut moeror aut vehemens terror  
faciat ad subito prouocandum hunc affectum in homini-  
bus

bus hernia ante iam affectis, & de reliquo nihil gravioris incommodi ab ea perpeſſis. Multa in hanc rem adducere exempla verat id ſtudium, quo prolixorem traſtationem euitamus, vnicum tamen, quod Excellentissimi Dom. Praefidis communicationi debemus, referre liceat. Erat nutrix, in iracundiam alias prona, &c, qua tumore in inguine exiguum ante quidem notauerat, ſed pra pudore, aut quod malum inde non metueret, medicinam afferre diſtulerat. Aliquando ſubita percellitur iracundia, mox in tormina & miserandos cruciatus coniicitur, quos non tardo gradu vomitus inſequuntur. Diſimulat illa inguinalis vitium, de reliquo clyſteribus, aliisque, ſed fruita aduersus morbum depugnat. Funelta ſigna prodeunt, fero profitetur herniam & chirurgum admittit; ſed desperata iam omnia in sphacelum abibant, tota circumiacente regione ab eodem correpta. Non diſimile mulatum eft quod in *historia morborum Wratislauiensium* 1707. pag. 90. de femina omphalocele laborante refertur, vbi pariter res ad mortem deuenit, fruita medicis renentibus. Feliciores illae fuerunt de quibus *Welſhina hec*, 20ſt. II. obſ. 33. p. 19. & M. N. C. Dec. II. A. I. obſ. 118. referrunt, quarum illa omphalocele, haec, nuper puerpera, vmbilicali & inguinali hernia ſimil laborabat, utraque autem ab malo ileo feliciter liberatae ſunt. Plura apud scriptores, praefertim *Bonetum in ſepulchro* videbis eorum exempla qui cum hernia ileo laborarunt.

## XVI.

Non immerito hic quæſtio incidit de excrementis per ora regurgitantibus in hominibus herniosis, vtrum ea ex crassis adſcenderint? nec non de iniectis clyſteribus,

C

quo-

quorum odorem & consistentiam non raro per vomitum expulsa referunt. Ratio dubitandi est, quod videatur, nisi reposito intestino, quicquam non posse penetrare. Verum considerantibus & ante exortum ilei morbum fæces liquidiores promte per illam etiam incarcerationem descendisse; apparehit & nunc, intuerso intestinorum motu, adpulsum clysterem, utpote liquidorem & fluxilem, ex parte posse penetrare & sursum rapi; quantumuis id crassioribus fæcibus, infra incarcerationem & coartationem constitutis, non proinde tribuendum esse videatur.

## XVII.

Sed alia multa restant, ad quæ nos conferre debemus. Sectiones nempe ileo extinctorum, a grauiissimis medicis factæ, nobis intestinorum mutuos ingressus, seu, ut vocant, intusceptiones narrant, itemque conuolitiones & contortuplications, veluti solent esse panni a loetricibus conuoluti. Si eas vnuis *Guido Patinius* in dubium reuocasset, quoniam ipsis non licuit oculis eiusmodi quid visurpare, parum mouerer illius negatione, quoniam, quod ipsis non vidimus, propterea multis aliis testibus non est deroganda fides: sed *Kerckringius*, anatomæ clarissima luce alias sedulo usus, eas *imaginarias* vocans, eo magis admiratione dignus videtur. Putat autem illam fieri non posse sine intestini a mesenterio dilaceratione, hanc autem necessario secum allaturam sanguinis magnam profusionem, cuius tamen nulli meminerint. Sed clarissimi viri argumenta non sufficiunt ad eludendam tot testimoniū consensu nixam veritatem. Negamus enim dilacerationem illam, adeoque sanguinis etiam profusionem, esse necessariam; & cum eodem loco profiteatur unum se modo secu-

isse

isse ilco mortuum, in quo nihil tale deprehendit: eodem  
ipso nihil efficit. Nec ad *Lazari Riuierii* obseruationem  
labefactandam adiectæ ab isto coniecturæ sufficiunt, potest  
enim secus res habuisse, & sufficiens accurataque diligen-  
tia adhibita fuisse. Et, si bonus *Riuierius* hic dormitasset.  
an propterea omnes reliqui steruerunt, qui tanto consensu  
illæ subingressiones & conuolitiones, tamquam visas, de-  
scripserunt?

## XVIII.

Sed potius quid sint illæ, & quomodo inducantur,  
& quid inducant? consideremus, & simul testimoniis inter-  
iectis omnem hanc rem conficiamus. Vtar autem hic ver-  
bis Clarissimi *Peyeri* qui, loco iam supra citato, sectionem  
a se, præsentibus pluribus, in femina voluulo extincta,  
factam recenset: *patescere abdomine*, inquit, *ileum alicubi*  
*plane constrictum ac velut iniecto laqueo strangulatum*, vidi-  
mus. Nimirum portio eius quatuor digitos transuersos lon-  
ga, plurimum vero contracta ac angustata, intra proximæ por-  
tionis superioris cavitatem prorsus abscondita latebat, hacque  
sua facie ac figura veram eiusmodi susceptionem aut ingres-  
sum, qualis a clarissimo Fr. le Boe Sylvio prax. med. lib. I.  
cap. XV. describitur, representare videbatur. Easdem oculi  
suis, præsentibus nobilissimis medicis Hardero, Brun-  
nero, aliisque in puella simili morbo extincta tribus di-  
stinctis locis, per interualla notabilia factas, obseruauit.  
Fiunt autem eiusmodi susceptiones non uno modo; quippe  
aliæ sunt vbi inferior pars in superiorem ingreditur, a-  
liæ rursus vbi superior inferiorem subintrat, nec raro eti-  
am utriusque generis in eodem subiecto accidisse de pre-  
hensum est. Modum, quo generentur, toties laudati  
C 2 *Peyeri*

Peyeri experimentum in ranis captum, adumbrat. Sic autem scribit: *torminum genesis, atque modum, quo intestina coarctata se neutrō suscipit.* --- *rana iucundo atque utili experimento oculis nostris exhibuerunt.* Etenim intestina, viuentis amphibio lacesita, in diuersis locis pertinacissime mox se constringebant, contentis violenter sursum deorsumque, quae data porta, protrusis, atque hinc inde in cumulos quasi congestis. Inde quedam intestini portiones valde impletæ ac turgidae, alia prorsus inane ac arctissime clausæ perstiterunt, donec soluta fibrarum stricatura, meatus liberior redderetur. Intestinis autem hinc inde se constringentibus, &c. sicut chylum siue feces sursum deorsumque protrahentibus, factum, ut inter pli partes quedam alicubi plus debito ampliarentur: haec ampliate ac in fasci morem dilatare, intra se receperunt constrictas eiusdem intestini alias portiones vicinas, easque, sive suo absconditas, aliquamdiu detinuerant, donec fibris seduuo exporrigentibus, intestini pars una e latibulo alterius, velut e domuncula limax, in propatulum, pristinamque secundum rediret.

## XIX.

Talem vero ingressum puto maximū non solum doloris caussam esse, sed præcipue inflammationis, quæ, compressis ita & constrictis vasis sanguineis, vna cum mesenterii eas deducentis portione, necessario ex oriri debet, præfertim tanta simul humorum exagitatione existente, qualem in spasmodicis eiusmodi truculentis agitationibus omnino fieri debere ratio dicitat. Res non caret exemplis, vbi sphacelatas eiusmodi partes sectiones post mortem factæ detexerunt. In notis, *Peyeri de glandulis trasturis* sive a Clerico siue Mangetto, clarissimis viris, in Bibli-

idv

Bibliotheca anatomica illorum studio edita, subiectis, pag.  
128. sectio iuuenis 32. annorum proponitur, qui subinde  
colica vexatus, tandem ileo extinxetus est: in hoc, præter  
alia, in colo deprehenderunt huius portionem, duabus  
circiter spithamis ab recto intestino distantem, octo un-  
cias longam, nigerrimam, ponderosam, intestini portio-  
nem proximam inferiorem ad quatuor digitos subeuntem.  
Dissecti intestini paries pollicem crassitie æquabat & ma-  
teria steatorati simili inficeriebatur, adeo, ut relicta cau-  
tas vix digiti minimi apicem admitteret. *Hildanus* in pu-  
ero ex hoc morbo demortuo iuuenit intestinum cæcum  
contractum in intestinum ileum se insinuasse, idque opple-  
uisse, adeo, ut nihil ex superioribus intestinis ad colum per-  
meare posset. Fissò ileo & exempto cæco id ubique inflam-  
matum & tumens iuuenit, cum scirro, aut potius ex ulce-  
rato cancro, in cæci fundo latitante. Idem se scribit in o-  
mnibus, quos præter hunc dissecuit, deprehendisse, nem-  
pe, cæcum subiisse ileum & inde gangrænam ac sphacelum  
& intestina, & cum illis vicinas partes, corrupisse.

## XX.

Hactenus de subingressu intestinorum: paucis nunc  
etiam de complicatione & contorsione restat dicendum,  
non minus graui & funesto phænomeno. Imprimis nota-  
ri mererur ille casus quem *Lazarus Riverius* Cent. III. ob-  
26. multis verbis exponit, ubi, in dissecto cadavere, ileum  
in fine suo, tribus complicationibus conuolutum & quasi  
compactum in unam massam, deprehendit, quæ tota sic  
conuoluta portio gangræna affecta erat, una cum mesen-  
terii proxima parte: reliqua intestina amplissima erant, &  
flatibus mire distensa. Intestinum supra complicationem,

C 3

vbi

vbi sphacelo corruptum erat, perforatum, fæces in pelvem abdominis profuderat, vbi mōra sua intestinum rectum eroferant, vt inde liquida ante mortem sponte profluenter. *Panarolus* autem, apud *Bonettum* citatus, obseruasse se testatur intestina aliquando sic connecti, tamquam funis mādefactus, qui postmodum connoluitur.

## XXI.

Porro caussam præbuisse ileo inuentum fuit, quicquid ad valde irritanda intestina ullo modo conferre potest. *Prosper Alpinus de medic. methodica p. 313. de Melchiori Guilandino* refert, quod e colico dolore, a deuoratis catapotis ex hiera ad semunciam, in ileon, quo extinctus est, inciderit. De lumbricis magna copia in intestinis stabulantibus vix dubitare licet eosdem, vel cibi penuria vel medicamenti ipsis oppositi, debilioris vero, quam ut encare eos queat, virtute exagitari sèpius ut intestina morfu aut suetu feriant, vehementesque dolores tormentinaque excitant, vnde ad iliacam passionem progressus fieri eo magis potest, si aliæ caussæ ad eundem effectum procedendum præsto sint. Testantur tot obseruationes diuerorum auctorum, vel ipsis excrementis per os prodeuntibus vermes fuisse intermixtos, vel in dissectis cadaveribus incredibilem eorum copiam oculis se obtulisse. *Platerus* puerum hydrope extinctum secuit, in quo, præter intorta & implexa intestina, tanta flatuum copia erat, vt, leviteratus compressione disrupta, adstantium ora stercoribus conspergerent: (quod etiam *Henrico ab Heer* aliquando accidit vt obseru. 2. pag. m. 36. legitur) sed & vermis viuis oblongis quamplurimis scatebant intestina, qui rursum a liis minoribus referti illos motus inæquales effecerant. *I-*  
*dem*

dem *Henricus ab Heer* pueram secuit ab epilepsia ileosam factam, quæ, cum excremento, vermes euomuit, in cuius ileo intestino, circa eius finem, quinque complicationes inuenit, quarum aliæ inferne sursum repebant, aliæ superne deorsum complicabantur. *vide obf. 24. p. m. 214.* In *Misc. N. C. Dec. II. ann. V. obf. 19.* de femina XXX. annorum resertur, quæ ileo correpta cum fæce liquida euomuit 16. lumbricos teretes robustissimos, & animam sub frigido sudore efflavit. In medio intestini ilei membranæ cunctæ ad instar extensæ videbantur, & foramen grossi magnitudine, tenuissima membranula exterius tectum: utrumque vero intestinum vnius digiti longitudine, duodenum vero duorum transuersorum latitudine nigrum & gangrenæ corruptum visebatur.

## XXII.

Flatulum incarceratorum copiam insignem & viscerum inflammationem in omnibus ferme ex ileo defunctis inueniri fateor: verum tamen dubito utrum per se huius morbi causa extiterint, an vero pro gratiis potius accidentibus morbi haberi debeant. Sed exulceratio cancerosa, quam *Hildanus* supra citato exemplo & *Petr. Salius Diversus* apud *Bonetum* nobis referunt, ut & mesenterii abscessus prope intestinum, quem alii notarunt, magis videatur valere ad illud malum inducendum. Verum nos nimis iam videmur diu caussis morbi exponendis immorati, quare tempus est reliqua exsequi & ad ea progredi, quæ de curatione huius morbi dicenda restant.

## XXIII.

Eam autem aggressurus, sciat cum ancipite & diffici li rem se habere morbo, ubi iuuandi occasio præceps est, opin-

Opinioneque citius elabitur. Et, quoniam caussarum  
 morbi cognitio, quid medico faciendum sit, indicat: ope-  
 ra imprimit danda est, ut, quænam ex antedictis vera  
 caufa adsit, cognoscamus. Affectus vehementes aliis se  
 cauffis afficiantes, malum valde periculorum reddere so-  
 lent, quare de his inquirere medicum oportet, si quos  
 præcessisse violentiores comperiat, præfigio se imprimit  
 maniat, pauci enim sunt qui mortem euadunt, quando ab  
 graui iracundia, subito & magno terrore, aut moerore pro-  
 fundius affligente in iliacam passionem delabuntur. Ex-  
 exemplum feminæ, cui graui moerenti eriam paor no-  
 turnus acciderat, ex morborum Wratislauiens. historia. al-  
 terumque nutricis, graui iracundia percitat, quarum vtra-  
 que, ut supra retulimus, mortua est, rem confirmant. His  
 addere possumus ex Tulpæ obseru. lib. 11. cap. 4t. aliud fe-  
 minæ, ex iracundia anxietates, gutturis dolores, bilisque  
 æruginosos vomitus recurrentis, tandemque inter sterco-  
 ra animam euomentis. Ex moerore autem feminam ho-  
 nestissimam, cognitione mihi iunctam, quæ inguinali her-  
 nia simul laborabat, in ileon incidisse, quo ad necem quo-  
 que rapta est; aliumque honestissimum & doctissimum vi-  
 rum, professione medicum, ex simili caufa, eodem morbo  
 abreptum esse, ipse vidi. Et quoniam ad hanc, de prædi-  
 cendo morbi euentu, considerationem deuenimus, alia eti-  
 am prosequamur eo facientia. Si vehementia tormenta si-  
 mul ac semel cessauerint, sine manifesta crassiiorum faecum  
 excretione & reliquis euphoricæ signis ex pulsi, hilaritate &  
 viribus petendis, res desperata est, ægrotus ad patres abi-  
 bit. Sudor frigidus malæ est notæ & desperatam inflam-  
 mationem designat, docente Tulpio v. l. Spontaneus eti-  
 am alui fluxus, aut acuta febris superueniens, breui mo-  
 ritu-

Ms.

( 25 )

riturum ægrum denotat, auctore Baglinio prax. med. lib. I,  
cap. XIII. §. VI. Si illo superuenerint vrinæ suppressio; stran-  
guria, singultus, ventris maior inflatio aut conuulsiones :  
malum erit lethale , ut idem eodem loco, addocet. Quod  
autem Galenus afferuit neminem saluari, cui materiae fœ-  
culentæ vomitus superuenerit , id contraria experientia  
iam labefactauit. Salutis autem signum certissimum est,  
docente Lazaro Riuero in praxi lib. X. cap. 2. si sym-  
ptomata remittant & medicamenta vel alimenta, ore as-  
sumta, per inferiora descendant.

#### XXIV.

Si cauissim morbi deteximus, obscurum amplius esse  
nequit, quorsum curatio ipsa intendi debeat. Si enim  
obstructio grauior eum inuixerit; malum ipsum non tol-  
lit, nisi qui progressum aluinarum sordium reddiderit li-  
berum. Valde autem hic caute agendum erit, nec opor-  
tebit rem validis catharticis aggredi, quibus nihil efficie-  
tur aliud, quam vt omnia in peius & præceps abeant.  
Quum enim medici fere tum demum ad auxilium vocen-  
tur, vbi iam vires morbus sumvit; tunc autem spasmi &  
crispaturæ vehementes fibrarum furere iam soleant: ni-  
hil magis conductet, quam quod humectando & demul-  
cendo agit. Quare omnino probanda videntur quæ ex  
lenissimis laxantibus, vt manna & amygdalarum dulcium  
recenti oleo, propinuantur. Clysteres etiam ex oleo eo-  
dem vel lini iniectos, aut secundum Cælium Aurelianum  
ac. pass. lib. III. cap. 17. oleum cum æquali portione aqua  
dulcis & hybisci radicibus ad humiditatis consumptionem  
coctum, vt olei pinguior natura mucilagine radicis tem-  
peretur. *Mattheus de Gradis* puellam 12. annorum iliaca  
D paffi-

passione tam vehementer laborantem, ut non solum cly-  
 steres sed & suppositoria oblonga aliquoties vomitu reice-  
 ret, iusculis pinguioribus restituit. Singularis vehemen-  
 tia motus inuersi in hac ægra eluxit, quippe suppositori-  
 um filo femori alligatum, perrupto vinculo, ad superiora  
 traxit, & alterum, quatuor filis munitum, his quoque di-  
 sruptis, per os reiecit. Noutum igitur intrusum est cau-  
 tius annexum, mater autem manu sua filum satis forte  
 tenuit; verum, violentia motus considerata, maturius &  
 sensim retraxit. Quod ideo hic referendum putaui, vt  
 consideretur, annon ipsa illa suppositorii iam longius im-  
 missi retractio ad compescendum inuersum motum, forte  
 etiam ad expediendas susceptiones vel complicationes  
 intestini, si quæ adfuerint, multum profuerit, vt simili ca-  
 su in consilium verti possit, quod hic casu euenisse viderit.  
*Hippocrates lib. III, de morbis §. 15.* iubet, si minus venter  
 suppositoriis, quæ ex melle facta subdere suadet, obediat,  
 follem fabrilem ano intrudere, flatumque immittere, quo  
 & ventrem & intestini contractionem distendamus, extra-  
 eto folle, clysterem denique iniicere: cui consilio *Celius*  
*Aurelianus* quidem contradicit, *Zacutus* autem & *Amatus Lusitanus* suo calculo & experientia idem approbant, citante  
*Excell. D. D. Petri ab Hartenfels* in *dissert. de Volutulo*. Prae-  
 ter clysteres non incommodum videtur aliqua leniora, quæ  
 tormenta demulcent, adhibere. Nitrum hic præcipue se  
 commendat, quod ipsis etiam clysteribus immixtum se e-  
 gregie gerit. Exterio vsu egregiam opem affert, si abdo-  
 mini omentum calidum, aut intestina etiam calentia, recen-  
 tissime ex animalis sani & vegeti abdome exenta, iterum  
 iterumque applicemus, quod remedii genus *Amato Lusi-*  
*tano* in omnibus tormentosis affectibus in vsu fuisse video ex  
Curat.

*Curat. medic. cent. VI. curat. 2. nec vanum aut frustraneum esse in desideratisima matre mea, hoc affectu non semel sed saepius mire vexata, expertus sum.*

### XXV.

Vbi hernia malum excitauit, de eius repositione quanticus cogitandum est, nihilque omittendum ut ea feliciter succedat. Multum hic in eo situm est, ut malo tempus nullum concedatur. Pars affecta fortibus emollientibus tractanda, peritaque manu repositio adiuuanda est, cultro etiam via paranda, si id circumstantiae suadeant. Sed de hoc adeundi sunt chirurgi, qui sedulo hoc docent, praesertim *Meekren obs. chirurg. cap. 45. 46.* Ceterum remedia iam laudata hic quoque tempestive in ysum vocanda sunt, balneum etiam non sine fructu adhibetur. Emplastrum magneticum *B. Fr. Hoffmanni* ad reuocanda intestina ex scroto vel inguine, in eius *methodo medendi* commemoratur spectatae virtutis, cuius descriptio in *Clavi Schroederiano* reperitur.

### XXVI.

Si hernia absit & ex terminum prægressorum vehementia & fixiori sede de ingressu seu susceptione intestinorum iusta suspicio mentem subeat, in tempore deueniatur ad mercurii viui exhibitionem, qui per corium depurandus est. Nec formidanda est maior quantitas, ut citius pondere suo descendat & vel impactis sordibus viam præparet, vel implicationes & contorsiones expediat. In *obseruacionibus Riuorio communicatis p. m. 664.* aliis exhibendi modus legitur, vnicarum eius vncia cum sulfure in puluerem redacta, qui globulo cereo inclusus ab ægro deuoratus est, & saluti fuit. Cuius quidem rationis præ vulgari & simpli-

ciori prærogatiwas non perspicio. *Welschius obseru.* dec. 7.  
*curat.* V. curavit feminam bis exhibitis hydrargyri, per  
corium trajecti, tribus vnciis, cum vnica vncia & semisse  
olei amygdalini. Taceo alia exempla passim obvia apud  
nobilissimos auctores, quorum nonnulli altius in dosi us-  
que ad libram vnam & plures ascendisse leguntur. Sed  
& alia hic ratio est, non minus multis successibus satis com-  
mendata. Nempe globulos ex plumbo, vel, ut aliis ma-  
gis placet, ex antimonii regulo, torno lauigatos, iubent de-  
glutire, quod sua experientia idem *Welschius hecatost.* II.  
obf. 33. p. 19. confirmat, simulque monet in pondere globu-  
lis detrahendo ne simus nimis officiosi; vnciam aut saltem  
vnciæ dimidium pendere globulum debere, si quid salutis  
velimus exspectare. Verum hæc tum demum prodeesse  
possunt, si adhibeantur mature. Vbi enim ad confirmati-  
orem inflammationem aut sphacelum res deuenit, frustra  
effectum salutarem exspectabis, cum potius corrupta iam  
intestina perrumpat. Quem metum haud vanum esse ex  
obseruatione *Metzgeri* apud *Cl. Kænigium inregn. minerali*,  
videre licet. Is enim hominem secuit Patauii, ex ileo  
cum inflammatione laborantem, cui medicus, tempora  
non rite obseruans, mercurium viuum præbuit, a quo ex-  
hibitio intermissimos cruciatus animam reddidit. In ea-  
dauere aperto ileon in fine, ad palmæ longitudinem, per-  
ruptum visebatur. Post datum mercurium erectus ægi-  
positus, &c., si vires finant, corporis motio egregie pro-  
sunt.

## XXVII.

*Praxagoras* apud *Calium Aurelium*, proteruam chi-  
rurgiam inuenit, dum ventrem pubetenus diuidendum,  
diu-

diuidendum etiam intestinum rectum atque detracto stercore consuendum suavit: quod quidem nemo sanus approbauerit. Sed aliam, eamque rationi non prorsus contraria suscipere suadet *Barbette*, vt aperto abdome, manu ope complicationes & ingressus explicentur & expediantur, deinde gastrorrhaphia instituta vulnus consolidetur. Nec exemplum deest, quod *Bonetus* in *sepulchreto Tom. 2. pag. 228.* refert de quadam *Baronissa a Lanti*, cui ileo laboranti chirurgus iuuenis, castra diu sequutus, se obtulit. Impetrata venia abdomen resecandi multis eductis & euolutis intestinis, antequam conuolutio & contortuplicatio appareret; eam nactus explicat & nodos dissoluit, postmodum sedi restituit. Hinc gastrorrhaphia facta, vulnus felicissimo successu consolidauit, integraque valetudini Nobilem restituit, quæ sospitali suo stipendium annum constituit. Oportebit sane eum, qui aggredi talem curationem magno animo constituerit, certum esse de absentia magnæ inflammationis, adeoque ipsam operationem diu non differre.

## XXVIII.

Dicendum etiam de vehementibus irritationibus, a quibus morbus excitatur. Incumbendum omnino medico ut dolorum ferociam conuenientibus remedijis mitiget, vbi quidem opiate cautissime propinanda sunt, quæ sub morbi initiis, vbi nondum nimis profunde insedit, operam aliquam praestabunt. Sic ab Illustri *Wedelio* in *M.N. C. Dec. I. ann. 2. obs. 238.* studiosi, hernia inguinali, & rustici, enterocele laborantium, exempla commemorantur, vbi laudani opari duo grana salutari effectu hoc data sunt, vt vomitus ac singultus subfitterent, tempusque reliquis e-

vacuando perficiendis concederetur. Excell. Dom. Praefidis liquor anodynus in torminibus & doloribus colicis compescendis, singulruque contumaci sedando, expertissimæ virtutis est, tutoque hic adhiberi poterit. Nec spiritus nitri dulcis contemnenda hic est medicina. Lumbros vero, quos inter irritantia quoque retulimus, proprie nunc & ex professo aggredi velle, intempestivum videtur, tempusque potius exspectandum, quo sedatiora in corpore reliqua his eliminandis occasionem suppeditent.

## XXIX.

Si febris leuior accidat, vel malo iam complicata sit, sub initia eius venæ etiam sectio proderit, alias vero, si demum acuta & sphaceli comes emicet, negligenda videtur. Mixtura etiam simplex, vel elixir proprietatis Paracelsi, quod ab *Hofero* ad præcauendam vel discutiendam inflammationem magnopere commendari video, non incommoda hic videntur. Potiones etiam, urgente siti ex aqua chærefolii, cardui benedicti & similibus concinnari poterunt. Nitrum, quod inflammationem præcauet, iam commendauimus.

## XXX,

Nec parum in eo situm est, ut regimine commodo adiæta salubri ægrotus vtatur. Calore nimio non diuexandus est, quod omnes fere practici inculcant, nec ratione destitutum est. Ceterum abstineat se æger ab cibo, quippe adeo tunc non utile, ut potius valde noceat, quum' nec digestio in tanta motuum peruersitate locum habeat, nec egestio adsit. Potu autem calidæ multum leuabitur, quare *Auicenna* cum copiosum maxime laudat.

## XXXI.

(31)  
XXXI.

Neque illud omittendum, quod malum hoc, etiam  
semel & iterum expugnatum, frequenter redire soleat,  
præsertim iis, qui ex hernia illud incurrerunt. Nec so-  
lum id *Ballonio* docenti & ægrotos, tanquam puerpas, sol-  
licita semper cura obseruandos monenti, credo: sed ipse-  
met tristi exemplo in beate defuncta matre mea vidi, quæ  
toties totiesque in idem periculum relapsa, tandem etiam  
finem vitæ hoc fato attigit. Verum hæc mihi in præsen-  
tia sufficere debent de miserando hoc morbo: Summum  
autem numen supplex veneror, tum ut calamitatum no-  
strarum omnium misereatur, tum, etiam ut hunc meum, &  
reliquos conatus, in ægrotantium salutem & inolu-  
mitatem tendentes, plurimam utilitatem semper  
afferre iubeat.

**E**rgo Tibi meritos phœbus largitur honores,  
Conradi, nostra pars pretiosa schola.  
Postque tot exactos exandatosque labores  
Te sacra pæonio prendit Hygea sinu.  
Artis apollineæ flagrasti semper amore,  
Et fuit hæc animi cura laborque tui.  
Gaudebas cæcos naturæ evolvere mores,  
Miscens artifici pharmaca multa manu.  
Corporis humani latebras imosque recessus.  
Iuvit & abstrusas ejus adire vias.  
Hinc méritum, restat dum metu extrema laborum  
Cultori premium dat Medithrina suo.  
**CONRADI**, sis maecte sacro virutis honore,  
Quem tribuit studiis gratus Apollo tuis:  
I nunc & medicas tracta feliciter artes,  
Sisque machaonii gloria magna chor.

Hinc Nobilissimo Domino Candidato gratulari, & ut omnia ipsa  
prospere cedant in arte Medica, ad precari volui.

P R A E S E S.

I XXX

BRUNNEN  
WILHELM VON HANAU  
DIEZ DREI TAGE DER STADT  
BESUCHEN KÄUFER UND VERKÄUFER  
VERGÄNGE FRECHE RÜCKSICHT UND ERKENNTNIS.

Qc 310  
(II.)

ULB Halle  
001 540 53X

3



sb

Vd18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,  
BORVSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

DE

# PASSIONE ILIAICA,

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO,  
COLLEGII MED. h. t. DECANO,  
PRO DOCTORIS GRADY

publice disputabit

A U C T O R

JOHANNES FRIDERICVS CONRADI,  
Osteroda-Hannoveranus, Physicus Sondershusanus.

H. L. Q. C.

Ad d. Julii. Anni cœi locc XVI.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS GEORGII JACOBI LEHMANNI, Acad. Typ.